



**D. DIONYSII // A RICKEL CARTHVSIANI, // de perfecto
mundi contemptu, // ut pius ita utilissimus heptalo- // gus**

Dionysius <der Kartäuser>

Coloniae, Nov. 1530

D. Dionysii Carthvsiani, A Matorum mundi speculum atque conspicuum,
totius fere libri argumentum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55472)



SOD. DIONYSII
CARTHUSIANI, A MA-
torum mundi speculum, plane utilissi-
mum atque conspicuum, totius
fere libri argumentum.



VIDE TE QVOMODO cau-
te ambuletis, non quasi insipientes:
sed ut sapientes, redimentes tempus, *Ephesi. v.*
quia dies mali sunt. Propterea *1. Corin. 9.*
nolite fieri imprudentes, sed intelli- *2. Cori. 12.*
gentes, quæ sit voluntas Dei. Apostolus Paulus *Esaiæ. 64.*
consciens consiliorum dei, sciens quod infinitæ sunt *1. corint. 2.*
celestis patriæ delitiæ: quas nec oculus uidit, nec *Matth. 22.*
auris audiuit, quæ neq; pro multitudine nec pro *Lucæ. 12.*
magnitudine in cor hominis ascenderunt: ad quæ *Matth. 7.*
frequenter inuitamur ex euangelio, & alibi ex *Hebræ. 12.*
scripturis sanctis: sciensque quod maligni spiri- *Matth. 7.*
tus ad impediendum nos in hac vita & via stri-
cta & arcta, quæ ducit ad æternam vitam, sunt
tanto sollicitiores quanto delitiæ ad quas voca-
mur

D. DIONY. CARTHV.

mur existant nobiliores & iucundiores. Hortatur ergo nos in verbis præmissis: vt vndique cauti & circumspecti, caute prospiciamus iter nostrum, dicens: Videte quomodo caute ambuletis. Ne scilicet a via regia quæ ad cœlestia ducit gaudia deuiantes, in manus hostium incidatis.

Roman. 1. **Col. 4.** Bene enim subiungit Paulus, redimētē tempus: quoniam dies mali sunt. Si enim debite & bene, (vt oportet) flebilem, miserabilem, atq; damnabilem cursum seu statum mundi præsentis temporis consideremus, tunc dies quam mali sint oculata fide cernimus, scilicet quomodo quasi totus mundus errat, & (secundum Ioannem in canonica sua) in maligno positus est: proh dolor (quod cum dolore dicendum est) tam in capitibus quàm in membris, tam in clero quam in populo, tam in religiosis quam in secularibus, tam in senibus quam in iuuenibus, tam in masculino quam in foeminino genere. Et sic heu corrupta est via vniuersæ carnis, quod bene tangit beatus Bernardus, dicens: Non est nisi amor turpis in hoc seculari, nec fides securo, quia omnia quæ eius sunt cõtaminantur superbia, auaritia, cupiditate, & luxuria. Recessit enim lex a sacerdotibus, iusticia a principibus, consilium a senioribus, religio a clericis, amor a parentibus, fides a populo, reuerentia a subditis, amor castitatis a virginibus, pudicitia a conjugatis. Et quid est q̄ non venit Antichristus? Iam enim a multis ignoratur Christus, & a potentibus quasi peregrinus habetur. Hęc Bernardus. Conueniens igitur est, vt sanam doctrinam Pauli doctoris gentium præmissam deuote attēdentes, caute & sapienter fingamus gressus nostros in hac lachryman valle: & a-

Roman. 1.

Col. 4.

Eph. quin

Flebilis,
miserabilis,
ac damnabilis
est cursus
mūdi p̄n

tis.

i. Io. quin.

D. 40. cap.

Adam pri

mus ho. Et

eadem in

fra. Multi

sacerdotes

Gen. 6. 8

Psal. 13. 5. 7.

Ezech. 7. 3

Vniuer

salis in oi

stato de

formitas

Psal. 13. 52.

Eph. quin

1. Tim. 4

Luc. 1.

AMATORVM MVNDI SPEC.

& apertis oculis saltem interioris hominis arctā
 regiamque viam, quæ ducit ad cœlestem patri- **Matthæ. 7.**
 am, a qua peccando exulamur reuertētes, perfe- **Genes. 19.**
 uerāter ambulemus: nō retrospectiētes, nec decli- **Psalms. 118.**
 nantes ab ea erremus, & sic in profundū æternæ
 damnationis incidamus: ad quam hortatur nos
 dominus per Esaiam, dicens: Hęc est via,ambu- **Esa. 30.**
 late in ea, nec ad dextram, nec ad sinistram decli-
 nantes. Huius igitur veræ viæ aliquod directiuū
 hic in sequentibus deuote ac diligenter attenden-
 dum est: per quod Christifideles omni deuiō ex-
 cluso per viam regiā quæ ad patriam ducit cœ- **Directo-**
 lestem, dirigantur. Quæ quidem uia quum sit stri- **riū ad cœ-**
 cta, pauci eam inueniunt, & heu pauciores per **lestē pat.**
 eam transeunt. Quod inuuit nobis saluator, In- **Matth. 7.**
 trate per angustam portam, quoniam arcta est
 via quæ ducit ad cœlum, & pauci inueniunt eā.
 Sed porta lata, & spaciōsa est via quæ ducit ad
 perditionem inferni: vbi scilicet est perditio na- **Perditio**
 turæ, gratiæ, & gloriæ, et multi intrant per eam. **naturæ,**
 Circa quæ verba dicit Glosa: Quamuis chari- **gratiæ, et**
 tas sit lata, tamen per angusta & ardua abducit **glæ, in in-**
 hominem a terra. Ibidē dicit Augustinus, Quæ- **ferno ac**
 ritur, sed non ab omnibus inuenitur, nec oēs qui **quiritur.**
 inueniunt per eam ingrediuntur, quia capti secu-
 lo retrocunt. Etiam pauci inueniunt, & paucio-
 res per eam intrare contendunt. Nemo enim in- **Luc. 10**
 trat sine labore, & sine animi puritate. Satis an-
 gustum est omnia prætermittere, & vnum solum
 diligere, vnum quærere, & ad vnum quotidie
 pulsare: prospera non ambire, aduersa non time-
 re. Hęc in Glosa vbi supra. Quod heu amato-
 res huius mundi attendunt minime, & seculo cō-
 glutinati, ab eo recedere non valentes, quasi in-
 sani-

D. DIONY. CARTHV.

Hierony saniendo errant. Quod bene declarat beatus Hieronymus, dicens: Ridere & gaudere in hoc seculo, non est hominis sensati, sed frenetici: quia cor mundum non cum hoc seculo, sed cum Deo lætum est et iucundum: quia brevis, fragilis, & caduca est mundana lætitia. Item Bernardus, Non est uerior insania, quam seculi lætitia. Itemq; Augustinus, Gaudium mundanorum, gaudium est freneticorum. Seculi lætitia est impunita nequitia. Luxuriari, in spectaculis nugari, ebriositate ingurgitari, turpitudine foetere, & nihil pati: qui deum diligit, hæc fugit. Ratio autem quare multi intrant ad perditionem æternæ damnationis per latam portam et spaciosam viam, hæc est. Quia (prout scribitur in Ecclesiaste,) perversi difficile corriguntur. Et Stultorum infinitus est numerus: qui heu magis respiciunt vitã præsentem quam terminum sequentem. Quibus loquitur Ioannes Chrysofostomus, dicens: Nõ aspicias q; aspera est via, sed attende quo ducit: nec considera q; arcta est, sed vbi desinit. Ex quibus elicitur vnum, quod valde timendum est: scilicet q; durante statu mundi moderni temporis, infinitis malis exierunt de nungentibus, quæ heu vbiq; terrarum in seculo iam mero salcurrunt, pauci erunt de numero salvandorum. Quod innuit saluator ex graui sententia, quã protulit sandorum. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Non quod ab initio mundi pauci saluentur, sed (secundum doctores) quo ad multitudinem damnandorum, pauci dicuntur. Quod quidem bene figuratum legitimus in filiis Israel, qui in tanta multitudine, scilicet circiter sexcenta milia ducti ex Aegypto per mare rubrum in desertum per Moysen, quibus omnibus promissa fuit terra promissionis, per quod significatur

N V N C V P A T O R I A .

catur regnum cœlorum. Per populum vero Is-
 raeliticum, populus Christianus designatur, qui
 nunc vere est populus dei. Historia patet per di-
 scursum libri Exodi. Ecce illa tota multitudo po-
 puli Israelitici, quibus vt profertur omnibus pro-
 missa fuit terra promissionis, eorum peccatis ex-
 igentibus, in deserto mortui sunt: præter duos, sci-
 licet Caleph & Iosue, qui eam possiderunt cum
 his qui post transitum maris Rubri, in deserto
 quadraginta annis nati fuerunt, sicut legitur in
 libro Iosue. Ergo timendum nimis est, ne sicut se
 habet figura, ita & figuratum. Inter bonos &
 malos hoc distat: quia mali volunt facere festum
 ante vigiliam, volentes in hoc seculo tempora-
 liter gaudere: & ideo in futuro seculo facient vi-
 giliam pro festo quod hic habuerunt, quia æter-
 naliter flebunt. Quod bene innuit beatus Grego-
 rius in Homelia, super illo verbo. Ibi erit fletus
 et stridor dentium, Sic inquit, Præsentia huius
 vite gaudia, sequuntur perpetua lamenta, hic
 fratres vanam læticiam fugite, si illic flere et lu-
 gere formidatis. Nemo potest enim hic gaudere
 cum seculo, & illic regnare cum deo. Et rursus
 Gregorius, Nulli sunt qui possint venire de se-
 sto ad festum, hoc est de gaudio præsentis vi-
 tæ ad gaudia fœlicitatis æternæ. Quibus loqui-
 tur beatus Hieronymus dicens, Difficile ni-
 mium est, imo impossibile: vt quis præsentibus
 fruatur bonis & æternis: vt de delicijs ad
 delicias transeat, vt hic ventrem illic mentem
 repleat. Vt in vtroque seculo sit primus, &
 in vtroque appareat gloriosus. In vitas patrum
 dixit sancta Syncretice: Sicut impossibile est v-
 no eodemq; tẽpore herbam esse et semen, ita im-

Paucos fal-
 dose xēplo
 confirmat
 Ex. 12. 13; 14

Nume. 14.
 Iosue. 14.

Mali faci-
 unt festum
 añ vigiliã
 Boni econ-
 uerso.

Matth. 13.
 Gre. Ho. 12

Neminem
 posse in v-
 troq; gau-
 dere sc̃to.
 Hierony.

Aa possi-

- Mar. 10.** possibile est, vt secularem gloriam habentes, & in delitijs ac voluptatibus mundi viuentes cœlestem faciant fructum. Et ergo pro temporali consolatione, talibus comminatur dominus æternum supplicium, dicens, Væ vobis qui hic habetis consolationem vestram super terrā.
- Lucæ. 6.** Hinc dicit beatus Bernardus, Austeritas cōuersationis sancti Iohannis baptistæ peccatoribus delitiosis durus est nuncius æternæ mortis. Quid enim nos irrationabiles feræ reptilia terræ insadurus est nuncius: cum ille q̄ inter natos mulierum, nemo maior surrexit, innocentissimum corpus suum sic afflixit, & nos indui preciosis vestibus festinamus, splendide, laute, ac delicate viuere & epulari. Non sic impij non sic itur ad astra, quia dicit sanctus Augustinus: Bona terrena contempsit Christus, vt contemnenda omnia terrena monstraret: & mala mundi sustinuit, vt sustinendo mala doceret vt neq̄ in illis quæreretur felicitas, neq̄ in istis timeretur aduersitas. Hinc ausculpta beatum Bernardum sic dicentem, Agnosce o homo quam nobilis est anima tua, & quā grauiā fuerunt eius vulnera: pro quibus necesse fuit dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & ad mortem sempiternam: nunquam pro eodem remedio dei filius moreretur. Noli igitur vilipendere animæ tuæ passionē, cui a tanta pietate, tantā uides exhiberi cōpassionem. Noli attendere quid caro uelit, sed quid spiritus poscit. Si vero dicis, durus est hic sermo, non possum mundum spernere, et propriam carnem odio habere: Dic mihi ubi sunt amatores huius mundi, qui antepauca tempora nobiscum erant
- Bernard.** Penitētia Ioh. Bapt. p̄catoribus durus est nuncius.
- Lucæ. 7.**
- Augusti.** Bona terrena exēplo Christi contēnenda, mala p̄petienda sunt.
- Bernard.** li. medita tionū ca.;
- Qui hæc vilipendit timeat sempiternum interitū.**
- De memoria mortis**

AMATORVM MVNDI SPEC.

erant? Nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes. Attende qd sunt, quid fuerunt: homines fuerunt sicut tu, comederunt, & biberunt, ac riserunt. Duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima eorum æternis supplicijs deputatur. Quid profuit illis inanis gloria, breuis læticia, mundi potentia, carnis voluptas, falsæ diuitiæ, magna familia, & mala concupiscentia. Vbi risus, vbi iocus, vbi iactantia, vbi arrogantia? De tanta læticia quanta tristitia? Post tantam voluptatē q̄ gravis miseria? De illa exaltatione ceciderunt in magnā ruinā, et magna tormēta. Quicquid illis accidit tibi accidere potest: quia homo es, homo de humo, limus de limo, de terra es: & de terra uiuis, & in terram reuerteris, quādo ueniet dies vltima, quæ subito ueniet, & forsitan hodie erit. Certum est q̄ morieris, incertum autem quando, aut quomodo, aut vbi: quoniam mors vbiq̄ te expectat. Tu quoq̄ si sapiens fueris, vbiq̄ eam expectabis. Omnia sunt verba Bernardi. Hinc Gregori⁹. Nihil certius morte, & nihil incertius hora mortis. Ex quo scis te moriturum, tene te semper, et in omnibus euentibus humiliter, & patienter, & prudenter, vt mortuum. Et dic, Hæc non mouerunt mortuum, nec te mouere debent: siue prospera sint, siue aduersa, Sit tibi quilibet dies tanquam extrema. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Hieronymus Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. Et hæc de me moria mortis sint dicta.

Iob. 27

Amatorū
mundi lu-
dificatio

Psal. 106

Ecclesi. 3.

Gene. 3.

Sopho. 1

2. reg. 14

Esai. 38.

Grego.

Cōsiliū sa-

luberrimū

ut se q̄sq̄

q̄si mortu-

um semper

reputet

Eccle. 7.

Hierony.

A ij cta.

D. DIONYS. CARTHV.

sta. Modo redeundo ad propositum: considerandum est quod boni faciunt hic vigiliam in luctu penitentiae, & ideo perueniunt ad festum iucunditatis aeternae. Quamuis sanctorum virorum vita multam videatur habere asperitatem: tamen leniri debet, considerata tanta gloriae immensitate. Ergo poenitentiam agat, qui vult aeterno gaudere bono. Ad quod hortatur nos saluator, Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum. De qua poenitentia dicit quaedam scriptura, O felix poenitentia: conuersio matura, quia secunda. Qui autem tarde poenitentiae se committit, dubius & incertus erit: quia nescit an vere an ficte poeniteat. Vnde Gregorius, Qui poenitenti veniam spondit, spectanti die crastinum non promittit. Vera namque poenitentia animam a seruitute diaboli liberat, et ipsam sanctificat, spiritu sancti donis & virtutibus ornat, sub protectione dei collocat, in paradysum coronandam representat, & pro ipsa allegat. Quod heu minime aduertunt amatores huius mundi, scilicet superbi, auari, luxuriosi, voluptuosi, inanis gloriae cupidi, iracundi, amatores propriae uoluntatis, contemptores diuinae uoluntatis et bonitatis, eligentes facere festum breue in hoc mundo, & longam uigiliam in aeternis cruciatibus, in inferno. Sicut enim dicit beatus Gregorius, Momentaneum est quod delectat, aeternum uero quod cruciat. Heu heu quam multi sunt apud quos omnia praedicta parum proficiunt. Loquitur mundi amatoribus. Auertunt faciem suam ne videant in finem. Oculos habent & non uident, aures habent & non audient, diu se uiuere arbitrantur. Et quia mortem terribilem dispositam non metunt,

Psal. 33

**Poenitentia
cupienti salutem
suadet
Matth. 3.**

**Poenitentia
matura commendatio
Gr. Ho. 12**

**Amatores
mundi suis
pingunt
coloribus.**

Gregori⁹

**Psal. 9,
Psal. 113, &
114**

AMATORVM MVNDI SPE.

unt, ideo miseri providere damna ipsius contem-
 nunt. Insuper similitur censendi sunt, qui im-
 pie vsque ad mortem vixerunt, & quæ sunt di-
 gna morte egerunt, nec timent mortem vicinã.
 Cæci sunt & mentis insanæ, insipientibus simi-
 les, nouissima sua, & post mortem ventura non
 sunt providentes. Vnde Augustinus, Multi æter-
 naliter damnantur, & finaliter in peccatis deti-
 nentur, qui non ad vocem domini se corrigunt.
 Vocem quidem occultæ inspirationis audiunt,
 sed vitam non corrigunt: dicentes, Cras, cras. Su-
 bito ostium clauditur, & remanet miser pec-
 cator foris, ante arcam patriæ cælestis, cū vo-
 ce coruina, quia pro peccatis gemere noluit tem-
 pore quo potuit, & debuit, voce columbina,
 Hæc Augustinus. Vnde dixit tristis dānati cu-
 iusdam vox. O cras, cras, quam longam restem
 mihi fecisti, & in barathrū mortis me procrastin-
 nando protaxisti: decepisti me, & deceptus sum
 Nonne hæc miseria superat omnem miseriam
 huius mundi? Nonne merito super his affligitur
 cor meum, & sauciabitur anima mea? En oēs
 dies mei heu sine fructu bonorum operum tran-
 sierūt, quos sine medio in laudē dei, animę meæ
 salutem procurando, expendere debuissim. Tri-
 ginta anni ætatis meæ dilapsi & perditī sunt, et
 miserabiliter perierunt tam negligenter, vt ne-
 sciam si vnquam diem ab omnibus his expēdi
 in voluntatem dei, & in exercitium cunctarum
 virtutum tam laudabiliter & perfecte, sicut for-
 te debuissim & potuissim. Vel si vnq̄ placitū
 famulatum conditori meo exhibui, tam gratū
 & acceptum, vt status meus requirebar. Heu
 me proh dolor, hoc est ergo vnde vulnerantur

Roma. i.

Cæci sunt
 nouissima
 non confi-
 derantes.
 Augusti.

Differre
 conuersio-
 nem q̄ pe-
 riculo ple-
 num sit.

Exclama-
 tio dānati
 horribilis

Iob. 17.

D. DIONYS. CART.

Oratio
Matth. 12
Rom. 14
1. Petr. 3.
omnia interiora mea. O deus eternæ quæ uere cū de
coram te, & omnibus sanctis tuis ad iudicium
stabo, cum reddere rationem de commissis et o-
missis cogar. Et quid adhuc dicam, in proximo
est tribulatio mea, ut de hoc mundo recedam.
Attendite quæso omnes amatores mundi huius;
Ecce in hac hora magis gauderem de breui o-
Psalm. 118.
ratiuncula, puta oratione dominica, uel saluta-
tione angelica deuote per me dicta, quam super
milia auri & argenti. O mi deus quanta negle-
xi bona, quæ bene potuissem impleuisse. Quam
male mihi accidit, quod hæc non prouidi, quando
bene prouidere potui. O quod horas nunquam
Propria
opa plus
pdesse ad
salutē quā
aliena.
redituras perdidit: quoniam propter modica fa-
cta & negotia exteriora, mihi necessaria negle-
xi: negotijs non necessarijs me implicauit, & ne-
cessaria dimisi. Vere nunc cognoui quod ad magnā
tudinem præmiorum cælestium mihi plus con-
tulisset recessus a uanitatibus sæculi, & sollicita
custodia cordis mei & sensuum meorum cū ani-
mi puritate, quam ijs neglectis, & animo inor-
dinate affecto triginta annis quis alius per pro-
craftinationes suas ad deum mihi præmia obti-
nere niteretur. Heu quanta bona in tanto tem-
Deplora-
tio negli-
gētiæ ite-
dij spūalis
Matth. 6
Matth. 15.
pore corpore sano potuissem fecisse, quod nunc
optarem pro omnibus delitijs, diuitijs, & hono-
ribus mundi huius. Heu non feci. Quam im-
mensas diuitias spirituales et thesauros cælestes
potuissem congregasse, et neglexi. O deus meus
et nunc quam minima opera satisfactoria mi-
hi grata et accepta essent cupienti saturari et re-
crea

AMATORVM MVNDI SPEC.

creari de micis quæ cadunt de mensis domino- Iob. 19.
 rum, et nemo mihi dat. O vos omnes miseremi
 ni et compati mini mihi, et quam diu vires sup
 petunt, et spiritus iuuat bonum facientes: cōgre
 gate in horrea cœlestia cœlestes the'zauros, vt
 cum defeceritis suscipiant vos in æterna taber Lucæ. 16.
 nacula, et non relinqua mini uacui in tali hora su
 per vos ventura. Sed pro dolor multi nec istud
 attendunt, mortem prouidentes, sicut omnes mū
 di et propriæ voluntatis amatores, quibus loqui
 tur Iohannes in sua Canonica. Nolite diligere 1. Iohan. 2.
 mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis
 diligit mundum non est charitas patris in ipso,
 quoniam omne quod est in mundo concupiscen
 tia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut
 superbia vitæ, quæ non est ex deo patre, sed ex 1. q. 4. ca.
 mundo, & mundus transit & concupiscentia e- Ecclesia q
 ius, qui autem facit voluntatem dei viuit in eter his ita.
 num, Hinc Iacobus. Qui amicus est seculi huius Iacob. 4.
 inimicus dei constituitur. O vtinam ipsi amato DE EX-
 res mundi, attenderent seueritatem diuinæ iusti TRE MO
 ciæ, quæ in extremo examine districti iudicij v- Iob. 24.
 niuscuiusque merita iudicabit & puniet sine mi
 sericordia, quæ non decipietur ab humana astu
 tia, nec flectetur a supplicatione lachrymosa,
 sed extenditur in corpus: & animam, Districtū
 enim dei iudicium nil patietur transire inultum, Sapient. 7.
 De q̄ qdem districto iudicio dicit Augustinus, Augustin.
 O q̄ augustæ erunt tunc vndiq; viæ reprobōrū,
 superius erit iudex iratus, inferius horrēdū chaos

D. DION. CAR.

a dextris peccata accusantia, a sinistris infinita demonia ad supplicium trahentia, interius conscientia vrens, exterius mundus ardens. Peccator sic deprehensus quo fugiet? Latere impossibile, apparere intolerabile. Item beatus Iohannes Chrysoftomus, Nec resistendi virtus erit, nec fugiendi facultas. nec poenitentiae locus, nec satisfaciendi tempus. Ex angustia omnium rerum nihil erit nisi luctus: Idem, Nec filij pro parentibus intercedent, nec angeli pro hominibus prout solent assument verbum: quia natura iudicij non recipit misericordiam: quia si beata y-

Beata Maria cum omnibus sanctis nil possent pro decedente cum vno mortali peccato.

Hebraei. 12. Iustitia dei quomodo iudicabit.

Memoria acerbissima peccatorum inferni retrahit a peccato.

go Maria, & omnes sancti rogarent tunc pro aliquo qui esset in peccato mortali mortuus, non exaudirentur. Hoc futurum examen districti iudicij omni tempore & hora omnes Christiani fideles ante mentis oculos ponant, poenitentiam agentes, bona opera cumulent, per quae reddatur eius deus propitius. Quia dicit Bernardus, Si deus non adest tibi per gratiam, adest per vindictam, sed vix tibi si ita tibi adest. Illi namque irascitur deus quem peccantem non flagellat. Nam quem flagellando in praesenti non emendat, in futuro aeternaliter damnat. Iustitia enim dei alio modo iudicare non potest, nisi quod merentur opera tua. Qui enim plus diligit mundum quam deum, seculum quam claustrum, gulam quam abstinentiam, luxuriam quam castitatem: sequitur diabolus, & ibit cum eo in ignem aeternum: Hae ille, O utinam cuncti mortales & specialiter mundi amatores attenderent, & in animo omni tempore reuoluerent, & rememorentur eandem aeternitatem & acerbitatem poenarum infernalium, nulli dubium quin

AMATORVM MVNDI SPEC.

& infiniti a peccatis cessarent, mundum fallacem, dolosum, & deceptorium relinquentes. Non sic irent post concupiscentias suas. Qui heu amatores, dei præcepta minime aduertunt, imo parvipendentes pro nihilo reputant: quum tamen sine obseruatione mandatorum dei nullus saluari potest, sicut attestatur saluator Matthæ, xvij. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et in Exodo vigesimo: Ego sum deus fortis & æmulator, reddens iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me, semper peccando, mandata mea non custodientes: & faciens misericordiam in milia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Hinc Psalmista imprecatur talibus maledictionem æternam, dicens: Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Auscultent insuper mundi amatores sententiam Athanasij in symbolo suo: quia oportet nos omnes de omnibus operibus nostris in die iudicij reddere rationem. Qui tunc bonegerunt ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum. Item Apostolus: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat vnusquisq; pro ut gessit in corpore suo: siue bonum siue malum, sine omni expectatiõe. Tunc miseris damnatis qui hic pœnitere neglexerunt, ex probando dicetur, Vbi sunt nunc ij, qui ab initio a diebus antiquis huic mundo toto seruerunt desiderio: qui voluptuose viuentes, varijs se desiderijs subdiderunt? Eia quid profunt nunc illis omnia terrena, quæ tanquam vmbra velociter transierunt? Quam breuis delectatio, quam longam restem post se trahit æternæ miserix. Ostulti & vecordes, quid dulcia

Eccle. 13

Exod. 20

Psal. 118.

2. Corin. 5

DE POENIS IN-
FERNI.

A V nunc

D. DION. CART.

nunc iuuant vniuersa, quibuscum celeriter perfrui estis. Sed quid est? Nunc e contrario, plangere vobis æternaliter conuenit, & plangendo *Sap. quin.* exclamare & dicere, Væ nobis iam nunc & in æternum, Væ quod nati sumus, nec vltra mori valemus, Væ quia male torquemur, nec a tormentis vnquam liberabimur. O quis est qui ista recogitet supplicia, & hæc nostra ad cor ponit tormenta? Hæc enim talia sunt: vt quicquid in mundo horribile excogitari possit, his comparari in crudelitate nõ valeret. O quã felix incoinquatus, qui post gaudia huius mundi non abiit, qui nõ respexit in uanitates & insanias falsas, Errauimus a via veritatis, et iusticiæ lux nõ luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa quasi vmbra, transiit quod temporale fuit, sed nunc proh dolor remansit quod in æter-

O finis sine fine. O biturum, perpetuum mortis supplicium. *O finis dolor,* O sine fine, mors grauior omni morte, semper mori, & tamen mori non posse, *O gemitus.* O lacrymæ incessanter profluite, oculi plorate, & omnia viscera mea vlulate super infelici hac separatione, quæ est a summo bono, a facie illa gloriosa & iucunda, a consortio illo angelico, nec non felicissimo illo electorum numero: componendo ad illã miseriam, maledictam, ac crudelissimam damnatorum turbam, sine fine cruciandam. *O cordium multorum intimi gemitus.* O stridor dætiuum & fremitus spirituum immensus. *O planctus & vlulatus multus.* O clamor in æternum mansurus, qui semper durabit & nunquam finem habet.

Eccle. 7. & 10.

Esaiæ. 14.

AMATORVM MVNDI SPEC.

bebit, qui semper renouabitur & nunquam ex-
 audietur. Verba sunt damnatorum. Oculi nostri
 miseri nunquam aliud videbunt nisi mortem &
 miseriam. Aures nihil nisi vae vae audient, atque
 tristitiam gemitus, & stridores dentium. O pia
 corda istud interminabile & crudele, æternum et
 intolerabile supplicium damnatorum respicite.
 Et in hoc tempore gratiæ lugete & flete poeniten-
 tiam agentes, deplangite peccata. Heu cur nos
 miseri, & omnibus creaturis miserabiliores: hæc
 futura mala non præuidimus ac præuenimus,
 dum robor affuit, quum tempus aderat opportu-
 num. Vtinam de illo toto tempore inutiliter ex-
 penso superesset nobis vna horula sanctæ poeni-
 tentiæ, in remedium concessa. Sed heu sententian-
 te diuina iusticia, præclusa est nobis hora salu-
 tis, negata misericordia, spes omnis ablata. Quid
 plura? nos miseri & miserabiles, tantum affligi-
 mur & dolemus de illo vae æterno, vt qualiscumq;
 terminus excogitatus, dummodo finibilis esset, no-
 bis solatio foret, etiã super oia solatia mūdana
 et gaudia. Vñ posito p̄ impossibile q̄ esset aliq̄s
 lapis molaris adeo magnus, q̄ vndiq; circumfe-
 rentiã cœli cōtingeret, & q̄ aliqua auicula mini-
 me q̄tatis post centū milia annorū veniēs de la-
 pide prædicto solummodo per rostrū suum auelleret
 q̄tum est decima pars milij. Et itere post centum
 milia annorū sicut prius vnā particulā de decem
 milibus annis, nō plus diminuere ē, q̄titas illius la-
 pidis, nisi q̄tum habet in magnitudine granū mi-
 lij. O q̄ læti nos miseri multū grati & cōsolati eē-
 mus, q̄ post totalē et plenā consumptionē totius
 lapidis finē haberet furor æternæ dānationis no-
 stræ? Sed heu hæc eadē consolatio nobis miseris
 a diuina

Verba da-
 natorum

2, Cor. 6.

Lucæ. 19.

Apo. 2.

Isaiæ. 66

Qui habet
 aures au-
 diendi audi-
 at, & sibi
 metuat.

D. DIONY. CARTH.

O diuina a diuina iusticia est negata. Qui habet aures au-
iusticie vi diendi audiat, & ad cor ponat hæc horribilia, et
gor vitam emendando hic in tempore gratiæ poeni-
Iob. 13: teat: quia taliter flagellabuntur in æternis cru-
Hebr. 1: ciatibus, qui hic in tempore gratiæ a flagellis sa-
* liorum excipiuntur. Sic enim dicit beatus Gre-
gorius: Prosper successus temporalium, indicium
eternæ damnationis est certissimum. Quid igitur
faciendum est, vt infernum euitemus? Dico, de-
1. Timo. 2. us benignissimus, qui (secundum Apostolū) uult
omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem
Duo ver- sui nominis venire: duo nobis verba in euange-
ba amato lio promisit, quorum vnum dixit nobis manens
ribus mun in carne, alterum dicturus est in extremo iudicio.
di bene pē In quibus verbis nobis proposuit bonum & ma-
sanda. lum, vitam & mortem, benedictionem & ma-
ledictionem. Elige ergo o homo alterum eorum,
quia oportet te alterum sequi. Elige ergo vnum
quod uolueris ex his multum diuersis. Primum
scribitur apud Matthæum, Pœnitentiam agite,
Matth. 3. appropinquabit enim vobis regnum cœlorum,
(quæ pœnitentia vere dicta, potest dici vita reli-
giosa virtuose deducta.) Secundum dicitur tibi
a Christo in districto iudicio, in nouissimo die, vi-
delicet: Ite maledicti in ignem æternum. Si enim
Matth. 25. primum accipias pœnitentiam agendo, secure
eua des. Si primum contempnis, absque dubio in-
cides in secundum. De his verbis simul iunctis
Bernard⁹. dicit Bernardus, Respondent nobis amatores se-
culi, quum eis pœnitentiam persua demus, & di-
Iohan. 6. cunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum au-
dire? Durum ne vobis videtur, quum dicitur: pœ-
nitiam agite? Erratis. Sed audituri estis aliquan-
do verbum asperum, sermonem durum, auditio-
nem

AMATORVM MVNDI SPEC.

nem malam scilicet: Ite maledicti in ignem æter-
 num, qui paratus est vobis & diabolo, & ange-
 lis eius. Vbi tandem cruciatus intolerabiles eter-
 naliter sustinebitis, quod deus auertat pœnitenti-
 am inspirando. Et quid si hæc omnia horribilia,
 & profecto terribilia seruos diaboli, scilicet ama-
 tores seculi, ad conuersionem vitæ suæ, et ad pœ-
 nitentiam agenda non inducant? Nihil his su-
 perest nisi vt attendant immensitatem gaudiorũ
 celestium. De quibus dicit Psalmista, Quoniam
 melior est dies vna in atrijs tuis super milia. Et i-
 terum, Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanq̃
 dies hesternæ quæ præterijt: supple, læte deducta i
 hac vita. Gregorius, Ibi pax est sine discordia,
 voluntas sine mandato, iusticia sine iniuria. Ibi
 erit iuuentus sine senectute, decor sine deformita-
 te, vita sine morte, lætitia sine perturbatione, car-
 mina non desunt, præmia non deficiunt, Ibi ami-
 ctus non dilabitur, regnum non amittitur, Ibi ni-
 hil deerit, quia nihil desiderabitur quod nõ assit.
 Augustinus: O quæ pulchra & decora ciuitas? ani-
 mæ Christus cibus erit ne esuriat, potus ne sitiat,
 vitam ne illam senectus dissoluat. Nullus intrin-
 secus morbus, nullus extrinsecus metus, summa
 in carne erit sanitas, & in anima tota tranquilli-
 tas. Bernardus: Latantur omnes in deo, quia de-
 siderabilis aspectu, facie decorus, dulcis ad per-
 fruendum, per se placet, per se sufficit ad præmi-
 um, nihil extra ipsum requiritur, & in ipso est quicquid
 desideratur. Item Augusti. Ipse est finis desi-
 deriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine
 fine amabitur, sine fatigatione laudabitur. Et ut
 multa paucis concludam. Audi Bernardum sic
 dicentem: Ibi vera lætitia plena scientia, imo ple-
 nitudo

Mat th. 25

Amatores
 mudi hic
 suauiter alli-
 ciuntur.

Psal. 87
 Idem 89.

Gregorius
 DE GAV-
 DIIS CAE-
 LI.

Augusti.

Bernardus.

Augusti.

Bernardus.

Gaudia cœ

D. DIONY. CARTH.

li comme-
morantur

nitudo omnium scientiarum, omnis pulchritudo
& beatitudo. Ibi pax, bonitas, lux, virtus, hone-
stas, gaudium, lætitia, dulcedo, & a salus, gloria,
requies, amor, & quicquid bonum ac iucundum
excogitari poterit, superabundanter ibi reperit.

Exempla;
de gaudijs
cœli.

Quidā dæmon interrogatus, quā magnū esset in
cœlo gaudiū. Rñdit: Nunera atomos in solis ra-
dio. Rñdit: Non possum. Sic etiā, ait, gaudia cœ-
li nullus numerare pōt. Quodā tpe dæmon a q-
dā viro sc̄tō de reditu in cœlum interrogatus. Re-
spondit: Si esset columna ferrea & ignea & acu-
tissimis cultris rasorijs armata, a terra vsque ad
cœlū erecta, vsq; in diem iudicij (etiam si essem
carne hominis indutus, in qua pati possem) vel

Visio dei q̄
voluptuo-
sa desidera-
bilissimaq;

lem me trahere ascendendo & descendendo, dū-
modo possem inuenire apud deum gratiam, &
peruenire ad eius gloriā. Dæmon aliqñ interro-
gatus q̄ diu deum viderit in cœlo. Rñdit: Paulo
amplius vidi q̄ ad ictum oculi. Sed propter hoc
vt adhuc denuo tam diu videre possem faciē il-
lam gloriosam in nouissimam diē vsq; solus oī-
um damnatorum, tam dæmonum q̄ hominum
vellem pœnas sustinere. Vnde dicit Augustinus:

Augustin.

Si posset fieri quod mali in inferno Deum vide-
rent, quod mallent in pœnis esse, & sic videre de-
um, quam esse in cœlo & non videre eum. Tan-
tum enim delectarentur quod pœnas pro nihilo
reputarent. Vnde erat quidam obsessus, qui in-
terrogatus de gaudijs quæ habent sancti in cœlo.

Exemp. de
gaudijs be-
atorum.

Respondit: Si totum cœlum esset pergamenum,
& totum mare atramentum, & omnes stelle ma-
gistrī, nec manib. nec linguis describere possent
gaudium minimum, quod sancti habent in cœ-

Augustin.

lo de vultu dei, Augusti. Tanta est iucunditas lu-

AMATORVM MVNDI SPEC.

eis æternæ, etiam si non liceret in ea amplius manere q̄ vnus diei hora, propter hoc solum innumerabiles anni huius v̄tã pleni delitijs, & affluentia bonorũ temporalium, recte, meritoq̄ contemnerentur. Quare ergo nō ponunt hoies hanc æternam, cœlestem lætitiã & gloriã in cordibus suis, vt sic iam hic in ista breui vita viuerēt, vt ad eandem q̄totius peruēnirēt. Certe hoc prouenit ex cecitate spirituali. Quæ qdē cæcitas tribus modis nascitur. Primo a puluere cupiditatis terrænæ. Secundo ex igne carnalis concupiscentiæ. Tertio ex tumore superbiæ. Plerunq̄ etiam peccator, vel ex consuetudine peccandi: vel ex obstinatione mentis vel ex suggestione diaboli peccatum suum non videt, q̄a videre non vult, nec peccatum reputat peccatum. Vnde Gregorius. Cum in graui peccato miser labitur, suadet ei diabolus ne pœniteat, ne confiteatur, peccatũ leue & modicum in corde affirmat, misericordiam p̄dicat, longum spacium vitæ promittit, ut p̄maneat in peccato suggerit vt sic eũ in contemptum dei, & desperationem sui inducat: Hæc ille. O o si talis miserimus peccator æternã gloriã, cœlestẽ, incogitabilẽ q̄ p̄det attenderet, & intolerabiles pœnas p̄petuas infernales, quarũ magnitudinem nemo exprimere valet, quas p̄petue sustinebit: pœnitere & confiteri indubie non differret. De cuius pœnẽ inferni magnitudine tale legitur exemplum. Quidam erat defunctus, sed vitæ restitutus, ex his quæ viderat in inferno territus, fugit ad eremum, & fecit cellam iuxta fluuium, & vestitus voluebat se, & inde exiens sinebat vestimenta sua congelari & postea balneum intrauit, & sic agit vsque ad mortem

Cæcitas
sp̄ialis, p̄-
uenit ex
tribus
Cur p̄ctõr
sæpe p̄ctm
suum non
videt.

Gregori⁹

Oastus dæ-
monis

Conclusio
opusculi

Exemplũ
de infernis
pœnis.

D. DIONYSI. CAR.

mortē. Et quum a multis super hoc argueretur,
dixit si vidissetis quæ ego vidi, eadem certe vel
maiora his nunc vere faceretis. Si ergo illa cœle-
na gaudia æterna possidere cupiunt ipsi seculi a-
matores, & æternas infernales eua dere pœna,
audiant dominum eis dicentem: Fugite de me-
dio Babylonis, & saluet vnusquisq; animam su-
am. Babylon secundum Hieronymum interpre-
tatur domus confusionis, & directe significat i-
stum mundum: ubi heu iam vbique terrar; con-
fusio regnat, sicut omnes cernimus, in inuerecun-
do vestitu & multis alijs. Et ergo fuga de seculo
validius est remedium contra vitia & peccata.
Ad quam fugam hortatur nos dominus in ver-
bo allegato per prophetam Hieremiam. Quod
quidem verbum sequitur sanctus Bernardus, di-
cens: Fugite de Babylone, i. seculo, vbi castitas
periclitatur in delitijs, humilitas in diuitijs, veri-
tas in multiloquio, charitas in hoc nequam secu-
lo. Quo igitur fugiendum est? Ad vitam religio-
sam, quæ tutior & salubrior est via, vt verius cre-
ditur, & experimento quotidiano experitur. Fu-
giat ergo qui saluari desiderat, vt pœnas intole-
rabiles & horribiles declinet & euadat. Et re-
gnum cœlorum amœnum & iucundum cū san-
ctis & electis, eorum meritis & precibus posside-
at; quod nobis tribuere dignetur Iesus

Christus in secula sublimis
& benedictus,
Amen.

F I N I S.

Hiere. 50

Hierony.

Contēpt⁹
mundi &
seculi fu-
ga suade-
tur finali-
ter

Religi o-
nis ingres-
sus tutior
via
Esaia. 64
1. Corint. 2